

tatione positum est. non secundum uisionem <sup>quod uidetur</sup> prophetae cui certum est. sed secundum eos ipsos qui monentur. quia cum dubitatione solent cogitare. Iam uero irascatur dominus. quibus non aperte reuelatur. Hoc ergo sibi ipsi debent dicere. apprehendantur disciplinam. ne quando irascatur dominus. et pereamus de uia iusta. Iam uero irascatur dominus. quomodo accipiendum sit. supra dictum est. & pereatis de uia iusta. Haec magna poena est. quae ab his formidatur. qui aliquid dulcedinis iustitiae perceperunt. Qui enim perit de uia iustitiae. cum magna miseria per uias iniquitatis errabit. Cum exarsit in breui irae uis. beati omnes qui confidunt in eo. Idest cum uindicta uenerit. quae impus et peccatoribus preparatur. non solum eos. non adtingent qui confidunt in domino. sed etiam illis ad regnum instruendum. et sublimandum proficiet. Non enim dixit cum exarsit in breui irae uis. securus omnes qui confidunt in eo. tamquam hoc solum inde habeant quod non puniantur. Sed beati dixit ubi est bonorum omnium summa et cumulus. Quod autem positum est in breui. hoc maxime significari arbitror. quia repentinum aliquid erit. dum hoc remotum et longe futurum. peccatores existimabunt.

FINIT PSALMUS. 11.

## INCIPIT. PSALMUS. TERTIUS.

### PSALMUS DAUID. CUM FUGERIT A FACIE ABSALON FILII SUI.

**H**unc psalmum ex persona christi accipiendum persuadet. quod dictum est. Ego dormiui. et somnum coepi. et exsurrexi. quod dominus suscepit me. Magis enim hoc ad passionem et resurrectionem domini. congruenter sonat. Quam ad illam historiam. in qua dauid scribitur. fugisse a facie bellantis aduersum se filii sui. Et quo scriptum est de discipulis christi. quam diu cum eis est sponsus. non ieiunant filii sponsi. Non mirum si filium